



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XXIV. Aliqua circa præcedentem doctrina deciduntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

non est opus aliam materiam adungere; siquidem jam tunc datur certa materia.

SECTIO XXIV.

Aliqua circa precedentem doctrinam deciduntur.

531. **D**ico 4. Quando dubium est de confessione, ut si quis certus de peccato mortali, dubitat, an illud falsus sit, tenetur iterum illud fateri, quamdiu dubium non deponit. Ita *Navar. cap. Si quis autem, num. 77. de Penit. dist. 7. P. Soar. d. 22. sect. 9. n. 2. P. Sal. 1. 2. d. unica, sect. 5. num. 79. P. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 10. num. 71. P. Lugo d. 16. n. 59. P. Granad. tract. 9. de Penit. d. 7. num. 8. P. Egid. de Penit. d. 7. dub. 8. num. 68. Leand. tomo 1. tract. 5. d. 5. quest. 30. & alii. Probat, quia constat de peccato, & de obligatione confitendi illud, & solum dubitatur de confessione; sed obligatio certa non exhauritur solutione dubia; ergo &c.*

532. Hinc deducitur primò, idem dicendum esse, etiamsi dubitans in eam partem propendeat, quod peccatum illud jam falsus sit; siquidem adhuc simpliciter est dubius de obligationis satisfactione, & obligatio, sive præceptum confitendi peccata, etiam dubia, sit certum, sicque in tali dubio possidet præceptum. Secundò, idem etiam dicendum, quando dubium fuerit, an confessio fuerit irrita, sive ex parte penitentis, sive Confessarii; est enim necessariò iteranda; siquidem cum præceptum validæ confessionis sit certum, & executio dubia, stat possessio pro præcepto. Ita *Medin. P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 10. num. 72. & alii.*

533. Tertiò, quando quis certus de peccato mortali, dubius verò an illud confessus sit, illud iterum confitetur, non teneri dicere in Confessione, se dubitare, an tale peccatum confessus fuerit. Ita *P. Soar. d. 22. sect. 9. P. Sanch. cit. num. 71. P. Egid. d. 7. de Penit. dub. 8. sine. Bonacin. d. 5. quest. 5. sect. 2. Leand. tomo 1. tract. 5. d. 5. quest. 21. quidquid in contrarium dicat P. Turrian. centur. 4. dub. 7. satis enim erit, si dicat, se tale peccatum commississe; sic enim verè confitetur peccatum à se commissum, cum confiteatur peccatum certum, & nihil referat ad præsentem confessionem, an illud fuerit iterum in confessione declaratum.*

534. Advertes tamen cum *P. Sanch. cit. P. Lugo d. 16. n. 43.* hoc esse intelligendum, nisi mutatio temporis afferat secum aliquam circumstantiam mutantem speciem, ut si se accuset conjugatus, aut religiosus de peccato contra castitatem commissio, quando erat solutus à matrimonio, & voto; siquidem tunc, nisi explicet tempus, Confessarius apprehendet speciem adulterii, aut sacrilegii, cum tamen peccatum tale non fuerit: quando autem peccatum idem est, non est cur debeat explicari temporis circumstantia. Ita etiam tenent *P. Soar. P. Egid. & Leand. cit.*

535. Inferes 1. Ergo, qui facit confessionem generalem, & confitetur simul aliqua peccata, quæ ante, & aliqua quæ post ultimam confessionem commisit, non tenentur explicare, quæ ante, & quæ post confessionem ultimam fuerunt commissa, Respondeo concedendo illationem; nam cum peccatum idem omninò sit, sive penitens antea illud confessus fuerit, sive non, (suppono enim circumstantiam temporis nullo modo variare peccatum,) non est, cur debeat necessariò explicare, tale peccatum fuisse jam, aut

non fuisse confessum. Ita *P. Lugo d. 16. à num. 49. Bonacin. d. 5. quest. 5. sect. 2. § 3. diff. 4. n. 5. Diana 3. part. tract. 4. resol. 62. & 4. p. tr. 3. resol. 65. Leand. tomo 1. tract. 5. d. 5. quest. 23. & alii.*

Instantibus: Confessarius intelligit, peccata illa post confessionem ultimam commissa, fuisse antiqua, & jam confessa; sed per hoc variaretur omninò iudicium Confessoris; quæ autem ita variant iudicium Confessoris, debent in confessione explicari; ergo &c. Respondeo, licet penitens videatur implicite indicare, quod sint peccata antiqua, ipse tamen intendit nova fateri, & de illis loquitur, licet quoad hoc desideret non intelligi à Confessario, quod parum refert; nam peccata illa nova sufficienter sunt explicata à penitente, & absolutio ex generali intentione Confessoris ad illa refertur, licet Confessarius privatà existimatione intellexerit, esse peccata antiqua, & jam confessa, quod nihil obstat.

Declaratur exemplis: Primò, quia si quis habuit rem cum sorore Confessarii, quam vidit in Ecclesia, velitque suum peccatum obscure confiteri, ut Confessarius non suspicetur de sua sorore, & dicat: *Ego peccavi cum quadam femina, quam vidi in Ecclesia:* tunc Confessarius nihil suspicatur de suâ sorore, & non tamen limitat absolutionem ad aliam culpam habitam cum aliâ femina, sed solum intendit absolvere ab illo peccato, quod penitens dicit, quæcumque femina illa fuerit, licet Confessarius privatà existimatione de aliâ femina id iudicaverit, & non de suâ sorore; sed in hoc eventu peccatum illud erit ritè confessum, & absolutum; ergo etiam in nostro casu, ut consideranti patebit. Secundò, quia si quis afferat infantem baptizandum, & dicat esse filium suum, cum non sit, adhuc infans manebit baptizatus; siquidem Minister intendit baptizare, non eum, quem privatim putat, sed quem præsentem habet, quicumque ille sit; ergo similiter in nostro casu.

Urgebis: Confessarius potest interrogare, & penitens tenetur respondere, an peccatum illud fuerit jam confessum; ergo circumstantia illa est etiam necessariò in confessione præfenti explicanda. Respondeo negando consequentiâ; multa enim potest, & aliquando debet Confessarius interrogare ad melius exercendum suum munus, quæ tamen penitens non interrogatus explicare non tenetur; ut non tenetur explicare circumstantias aggravantes intra eandem speciem, quas tamen interrogatus non potest negare.

Replicabis: Hæc circumstantia est omninò necessaria ad hoc, ut Confessarius possit prudenter imponere penitentiam; siquidem levior debet imponere pro peccatis jam confessis, & punitis, quam pro nunquam punitis, neque confessis; ergo non potest penitens illa tacere. Respondeo negando consequentiâ; multa enim sunt, quæ possunt Confessarium prudenter movere ad minuendam, vel augendam penitentiam, quæ tamen penitens non tenetur explicare; alioqui deberet explicare, quod habeat intentum, aut remissum dolorem de peccatis: quòd aliundè exerceat plura opera satisfactoria; quòd peccatum fuerit admissum cum intentione, & majori affectu, aut minori, & similia, quod non est dicendum.

Dices: Magis distat peccatum remissum à non remisso, quam veniale à mortali; sic enim magis distat ens, & non ens, quam ens magnum, & parvum; sed penitens debet explicare circumstantiam, quæ facit, ut peccatum transeat de mortali in veniale, & de contra; sic enim qui occidit sine advertentiâ plenâ, debet defectum advertentiæ explicare; ergo etiam an sit

an sit, vel non sit confessus illud peccatum, cum talis circumstantia transferat peccatum de materiâ necessariâ in non necessariam. Respondeo distinguendo majorem: magis distant secundum præsentem statum; concedo majorem: secundum statum, quem peccatum remissum habuit, quando fuit commissum; nego majorem. Unde:

Advertes, peccatum non esse materiam confessionis, prout est habituale; siquidem penitens non se accusat de peccato habituali, nec de perseverantiâ maculæ, sed præcisè de peccato actuali præterito, & quod fuit. Cum igitur solum detur pro materia actûs peccati, prout fuit, quando fuit commissum; & prout sic non sit differentia inter illud, quod jam est remissum per confessionem præcedentem, & quod adhuc non est confessum, neque remissum; consequens est, totam illam differentiam esse extrinsecam, & per accidens in ordine ad accusationem: at verò peccatum mortale, & veniale differunt secundum id, quod habuerunt, quando fuerunt commissa; sicque differentia illa debet in confessione explicari.

542. Inferes 2. Ergo si quis velit facere Confessionem generalem, & dicat, se velle omnia peccata confiteri, poterit aliqua jam ritè confessâ omittere; sed hoc non est admittendum; siquidem graviter decipet Confessarium, quatenus tacitis gravioribus, & turpioribus peccatis, judicaret eum castè, & piè vixisse, ut tenent *Victor in sum. §. 153. & Ledesm. 2. part. quart. quest. 8. art. 2. dub. 15.* ergo &c. Respondeo concedendo illationem cum *P. Henric. lib. 2. de Penit. cap. 12. num. 2. Diana 3. part. tract. 4. resol. 86. & P. Lugo d. 16. num. 57.* Neque penitens Confessarium decipit in materia confessionis; siquidem solum dat pro materiâ peccata illa, quæ confiteretur, & non alia, quæ tacet, & non dat, neque tenetur dare, cum jam sint ritè confessâ. Unde cum tota Confessio generalis sit libera, etiam liberum ei est illam magis, aut minus generale in facere. Neque obstat, quod præmiserit, se facere velle Confessionem generalem totius vitæ, & non faciat; hoc enim erit mendacium, non tamen circa materiam Sacramenti, sed circa aliquid extrinsecum: sicuti si dixisset, se esse abstinentem, devotum, aut affectum ad orationem, cum tamen non sit.

543. Inferes 3. Ergo si quis habeat duos Confessarios, non tenebitur unicuique omnia peccata confiteri, sed poterit apud unum sola mortalia, & apud alium sola venialia deponere; hoc autem, licet non sit contra integritatem Sacramenti, est tamen quædam hypocrisis, & virtuale mendacium, ut docent *Sylvest. verb. Confessio, 1. quest. 6. & Victor in sum. num. 196.* ergo &c. Respondeo concedendo illationem cum *P. Henric. lib. 5. cap. 16. num. 6. P. Soar. tomo 4. in 3. part. d. 22. sect. 1. num. 22. P. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 14. P. Egid. d. 6. de Sacram. dub. 4. num. 13. P. Lugo d. 16. de Penit. num. 57. & Diana 3. part. tract. 4. resol. 132.* Neque enim in hoc peccat contra integritatem Sacramenti, cum utraque confessio sit integra: neque datur vera hypocrisis, cum velle conservare bonam famam apud Confessarium ordinarium, aut nullam, aut non gravem inordinationem contineat: neque est species mendacii, cum talis nihil falsum confiteatur, licet factio ipso permittat alium decipi, quod non est per se peccatum mortale, ut patet ex supra dictis.

544. Dixi per se, quia per accidens potest aliquando in hoc dari peccatum mortale, ut si id ageret penitens, & ob hanc causam maneret in aliqua occasione peccati mortalis; aliter nullum erit peccatum. Imò addit *Diana cit. cum Villalob. tomo 1. sum. Tom. 2.*

tract. 9. diff. 35. num. 2. multoties convenire Confessarium mutare ob aliquas causas, quas quotidie Confessarii ipsi experiuntur. Unde imprudenter argunt Confessarii, ut ait *P. Laym. cit.* dum penitentes suos reprehendunt, qui aliquando alium querunt Confessarium, cum potius id deberent dissimulare, imò & aliquando consulere, & jubere.

Dices cum *P. Turrian. in opuscul. Centur. 4. dub. 7.* afferente hanc sententiam non esse probabilem, nec tutam in praxi, sed potius perniciosam bonis moribus: Circumstantia temporis, in quo peccatum commissum est, sæpe necessariò est explicanda: Primò, si peccatum commissum à religioso sit reservatum, quod ab eodem in sæculo commissum non erat reservatum. Secundò, si penitens nunc sit in proximâ occasione peccandi, & iterum relabendi. Tertiò, si habeat consuetudinem præsentem peccandi, debet illâ explicare, ut Confessarius applicet illi medicinam, & judicet, an sit dispositus ad absolutionem; ergo tenebitur explicare, an peccata fuerint commissa tempore ante, aut post ultimam confessionem.

545. Respondeo cum *P. Lugo cit. num. 47. & Leand. tomo 1. tract. 5. d. 5. quest. 23.* nimis rigidè se gerere *P. Turrian.* in censura absque fundamento; neque enim ab eo adducta multum urgent; siquidem ad primum, & secundum facillè respondetur, tunc esse obligationem, non quidem dicendi, an peccatum illud fuerit iterum confessus, sed solum, an fuerit reservatum, prout supra diximus *num. 534.* vel, an habeat occasionem proximam; siquidem quando potest, & tenetur illam relinquere, arguit aliud peccatum, imò & indispositionem præsentem, si non relinquitur. Ad tertium, supponi falsum, quod penitens teneatur dicere ex se consuetudinem præteritam, de quâ jam confessus est, nisi interrogetur, cum jam peccata præterita ritè sit confessus; illud verò debebat probare, ut probaret aliquid contra doctrinam à nobis traditam.

SECTIO XXV.

Declaratur tradita doctrina in peccatis dubiis quoad reservationem.

547. SUPPONO primò ut certum de fide contra Wiclefium, Lutherum, Calvinum, & eorum affectas, ut refert *P. Becan. de Sacram. cap. 40. quest. 1.* esse in Ecclesia potestatem reservandi aliquos casus, & peccata pro foro conscientie, & hujusmodi potestatem residere in summis Pontificibus pro tota Ecclesia, in Archiepiscopis, & Episcopis pro suis Diocæcesibus, & in Prælatibus regularibus pro sua religione, ut est definitum in *Trid. sess. 14. cap. 7.* & tenent omnes Doctores, præcipuè *P. Soar. tomo 4. in 3. part. d. 29. P. Vasq. tomo 5. quest. 91. cum D. Thom. in 4. dist. 17. quest. 3. art. 4. quest. 2. ad 4. & aliis.* Probatur primò ex *Trid. cit. ex cap. Si quis suadente, 17. quest. 4. cap. Ita quorundam, de judicis, cap. Conquesti, de sentent. excommunicat. cap. Quicumque, eodem in 6. cap. Si Episcopus, de penit. & remiss. in 6. in Clement. 1. de privileg. in extravag. Inter cunctas, de privileg. & in extravag. Et si Dominici, de penit. & remiss. ex quibus omnibus id satis constat.*

548. Probatur secundò, quia reservatio est coarctatio jurisdictionis à Prælatibus superioribus commissæ Sacerdotibus inferioribus; sed Superiores possunt jurisdictionem aut omninò non concedere, aut semel concessam auferre; ergo etiam illam coarctare ad absolvendum ab aliquibus, & non ab aliis peccatis.

Bb

Suppono